

Alte Drucke

**CATECHESIS || DAVIDIS || CHYTRÆI || RECENS RECOGNITA,
ET || MVLTIS DEFINITIONI-||BVS AVCTA.||**

Chyträus, David

Magdeburg, 1571

VD16 ZV 27938

SEXTVS LOCVS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Spiritum sanctum, quæ fons est Nouæ
obedientiæ & operum bonorum.

**QVOMODO FIT REGE-
neratio hominis?**

Omnis homines carnali generatione nascuntur
polluti peccato & filij iræ ac eternæ damnationis. Ut
igitur Filius Dei, hoc est, Deo placentes & heredes ui-
te eternæ fiant, necesse est eos ex Deo renasci, seu per
uerbum & Spiritum sanctum regenerari. Regene-
rantur autem, cum propter Filium Dei remissionem
peccatorum in Euangelio promissam fidem accipiunt,
& Deo reconciliati in locum filiorum & heredum
Regni celorum adoptantur, & donantur Spiritu
sancto, qui reliquias peccati nobiscum natu paulatim
expurgat, & nouam lucem & iusticiam, ac uitam in
cordibus credentium accedit.

**S E X T V S
L O C V S.**

**DE NOVA OBEDIENTIA SEV
Bonis operibus Iustificatorum.**

Quid est Noua obe-
dientia?

Mat. 5. 18 **Nova obedientia** est prælu-
cente

cente vera agnitione Christi & fide, vi-
tare omnia delicta Deo disciplicentia,
& non solum externis actionibus, sed eti-
am voluntatis & cordis affectibus obedi-
re præceptis Dei, hoc fine, ut Deus hono-
re afficiatur, hoc est, ut testemur hunc ve-
re esse Deum, cui obedientiam præsta-
mus.

Sunt autem ferè Synonima vocabula:
Noua obedientia, Cultus Dei, Bona ope-
ra, Virtus, Bonum propositum, Bona Con-
scientia, Sacrificium Laudis, Iusticia in-
hærens, Inchoata obedientia, Mortifica-
tio actionum carnis, &c.

BONA OPERA seu cultus Dei sunt
à Deo mandatae actiones mentis, volun-
tatis, cordis & externorum membrorum,
excitatæ per Spiritum sanctum & factæ in
fide, hac fine, ut Deo obedientia & ho-
nos præstetur.

VIRTUS est obedientia erga Deum
iuxta ipsius verbum.

BONUM PROPOSITVM seu præceptio-
nis est firmum decretum, seu constans &
perpetua voluntas non amplius consulto
& sponte peccandi, sed libenter & prom-
te Deo obediendi.

*Tit. 3. 9.
1 Tim. 4. 8.*

BONA CONSCIENTIA est noticia Legis Dei, & iudicium in mentibus nostris, quo recte facta, hoc est, cum Lege Dei congruentia, approbamus, & nos recte fecisse, & propositum non delinquendi consilio & sponte aduersus legem Dei, habere scimus, quam scientiam ordine diuinitus sancto sequitur tranquillitas cordis, & spes auxilij & protectionis divinæ.

SACRIFICIVM LAUDIS seu Eucharisticum, est opus à Deo mandatum, quod sit in nobis prælucente fide in Christum, & refertur ad hunc finem, ut Deus honore afficiatur, hoc est, ut testemur hunc vere esse Deum, quem sic colimus, nec est premium pro peccato, nec meretur facienti vel alijs remissionem peccatorum, sed est testimonio, quod sit Deus, & testimonium obedientiae, seu gratiarum actionis. Talia sacrificia sunt omnia bona opera & afflictiones piorum. Pet. 2. Psal. 49. Psal. 50. Psal. 106. Psal. 115. Rom. 12. Rom. 15.

EST NE NOVA OBEDI-
entia in renatis necessaria?

Omnes

Omnès fide propter Christum iustificati deinceps vitare peccata, & Nouam obedientiam cum voluntate Dei congruentem præstare debemus. Ideo enim gratuita Dei misericordia nobis remittitur peccatum, & per Baptismum in nobis submergi & mortificari cœpit, & donat sumus Spiritu sancto, ut deinceps non amplius peccemus, sed in nouitate vitæ, hoc est, noua luce & iusticia & obedientia erga omnia mandata Dei, viuamus. Rom.

6. 7. 8.

¶ Deinde ordo sapientiæ & iusticiæ diuinæ æternus & immutabilis est, ut Homines à Deo creati, & per Filium Dei redimenti Deo obedient, & peccata cum voluntate Dei pugnantia vitent, Rom. 8. Debitores sumus. Ephes. 2. Ipsius opus sumus, conditi ad bona opera.

Tertio, Mandata Dei seuerissima vbiq; repetuntur, Iohan. 9. Noli amplius peccare. Ioh. 15. Hoc est mandatum meum, ut diligatis vos inuicem. Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore vestro, ut obediatis illi in concupiscentijs eius, Sed præbete membra vestra organa iusticiæ Deo. Item, Liberati estis
pec-

à peccato, & serui facti iusticiæ. Coloss. 3.
Ephe. 4.5 6.1 Timot. 1. Milita bonam mi-
litiam, retinens fidem & bonam consci-
entiam. 1. Thess. 5. Hæc est voluntas Dei,
&c.

Plures cauſas poſtea in loco finium
recitatibimus.

Q VAE SVNT SPECIES BONO-
rum operum, seu partes nouæ
obedientiæ?

Species bonorum operum, seu cultu-
um Dei, iuxta ſeriem præceptorum De-
calogi, commodiſſime diſtribui poſſunt.

Vera agnitiō Dei iuxta Euangelion,
verus Timor Dei, vera fiducia misericor-
diæ promissa propter Christum Mediato-
rem, Dilectio Dei, Spes vitæ æternæ, Pa-
tientia, Humilitas, Inuocatio Dei facta
in Spiritu & veritate.

Iusticia vniuersalis, obedientia erga
leges & Magistratus, Pietas erga paren-
tes, Iusticia particularis, Beneficentia,
Misericordia, Caſtitas, Veritas, Sedulitas
diligenter & fideliter faciens ſuæ vocati-
onis officia, &c. Ut ſupra in loco de Lege
catalogum virtutum adiunctis definitio-
nibus recenſuimus.

Q VOD

QVOD EST DISCRIMEN IN-
ter virtutes seu bona opera Ethnico-
rum & Christianorum?

Quatuor sunt discrimina.

Primum, Multæ sunt propriæ Christianorum virtutes Ethnicis ignotæ, vt Fides Christiana, fiducia misericordiæ seu Gratia Dei, propter Christum promissæ, vera Inuocatio Dei nitens Filio Mediatore, vera Dilectio Dei, Spes vitæ æternæ, & cæteræ in prima Decalogi Tabula expositæ: quarum ne quidem mentionem faciunt Cicero in Officijs & Aristoteles in Ethicis, ex professo virtutum doctrinam explicantes.

Deinde, caussis efficientibus differunt. Nam virtutes renatorum, non solidi humanis seu liberi arbitrij viribus efficiuntur, vt Ethnicæ, sed à Spiritu Dei sancto per verbum accenduntur & consummantur.

Tertio, causa formalis. Bona opera Christiana sunt veri & serijs motus cordis per Spiritum sanctum accessi, quibus vera agnitio Christi & Fides, sine qua impossibile est Deo placere, prælucet. Bona opera

opera seu virtutes Ethnicæ, sunt tantum
externi gestus seu gubernatio locomoti-
uæ, sine spirituali motu cordis & sine fide.

Quarto, causis finalibus. Nam Chri-
stiani bona opera faciunt & Deo obedi-
unt, ut Dei gloriam illustrent. Ethnici &
horum similes Pharisei & hypocrita,
ostentatione vel aucupio gloria popula-
ris aut potentiaz, & metu infamiaz & pe-
narum, virtutis officia colunt.

QVI SVNT GRADVS BONO- rum operum seu cultuum Dei?

Tres sunt gradus præcipui.

Primus & summus gradus, & velut
Anima & vita reliquorum honorum ope-
rum, est verus Timor Dei, & Fides in
Christum, ac obedientia cordis interior,
quam Deus in primo præcepto flagitat,
quam vnico veræ pietatis nomine vulgo
appellare solemus.

Secundus, sunt externa honesta ope-
ra moralia, quæ in secunda Decalogi Ta-
bula præcipiuntur, seu officia iusticiæ &
dilectionis erga proximum.

Tertius gradus sunt Cæremoniæ & sa-
crificia, quæ non placent Deo, nec sunt
cultus

Cultus Dei pet sese , nisi præluceat verus
Timor Dei & Fides ac obedientia mora-
lis.

QVAE SVNT CAVSAE EFFI-
cientes, seu quomodo fieri possunt
bona opera?

Tres causæ concurrunt.

I. Filius Dei reconcilians Homines
Deo & sibi capit irursus adglutinans , &
per verbum docens , quæ opera Deus fla-
gitet , & effundens in corda Spiritum vi-
uificantem , Iohan. 15. Sicut palmes nisi
insitus fuerit viti, nullum fructum profert:
ita sine me nihil potestis facere.

II. Spiritus sanctus ascendens in men-
te lucem veræ agnitionis Dei & veræ fi-
dei , & cogitationem præceptorum diui-
norum. Deinde impellens & adiuuans
voluntatem, ut obtemperet præceptis di-
uinis , & iuxta ea regat actiones externo-
rum membrorum.

Gal. 5. Fructus Spiritus sunt Fides, di-
lectio , &c.

Rom. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi
sunt Filij Dei.

III. Mens & voluntas humana ren-
ata per

ta per Spiritum sanctum, non repugnans
Spiritui sancto, & agnita sua imbecilli-
tate petens à Deo auxilium & gubernationem,
Postremo, loco motu voluntati obtemperans.

QVAE EST CAVSA FORMA-
lis, seu quomodo placent Deo
bona opera?

Opera fiunt bona & Deo placentia
per fidem in Christum. Id his quatuor articulis declarandum est.

I. Persona, quæ facit bona opera, statuat se iustum esse, & Deo placere GRATIAS, propter CHRISTVM Fidei.

II. Agnoscat & deploret multiplicia peccata adhuc hærentia in nobis, vt, caliginem de Deo, dubitationes, prauas inclinationes, securitatem, superbiam, admirationem sui, &c. quæ impediunt, quo minus LEGI DEI possimus satisfacere.

III. Et tamen statuat Dei voluntatem æternam & immotam esse, vt ei in bonis operibus seruiamus, & nouam obedientiam cum ipsius lege congruentem incoemus.

IV. Sciat hanc incoatam obedientiam placere

placere Deo, non propter propriam dignitatem, sed propter Christum Mediatorem, ut i. Pet. 2. dicitur: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Christum.

QVÆ SVNT CAVSÆ FINALES?
seu cur facienda sunt bona
opera?

Nequaquam eo fine facienda sunt bona opera, ut mereamur remissionem peccatorum, iusticiam & salutem æternam. Nam hæc bona propter solius Filij Dei meritum, creditibus GRATIS donantur.

Sed alij sunt veri fines.

I. Gloria Dei. i. Cor. 10. Omnia ad gloriam Dei facite. Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorifetur pater vester cœlestis.

II. Ut debitam obedientiam & honorem Deo præstamus. Nam ordo iusticæ diuinæ immutabilis est, ut creatura, rationalis Deo obtemperet, Rom. 8. Debitorum sumus, &c.

III. Ut bona opera sint fructus iusticæ

110 DE BONIS

& testimonia nostræ fidei & conuersationis
ad Deum, 2. Pet. 1.

111. Vt proximo, officijs iusticiæ, dilectionis, beneficentia, misericordia, &c.
seruiamus & prosimus. Tit. 3. Discant &
nostrî bonis operibus præseſtad necessa-
rios vſus, ne ſint inſrufiſeri.

112. Vt bonis nostris operibus impios
ad veram pœnitentiam, Timorem Dei,
Fidem, &c. inuitemus. 1. Pet. 3. Vt qui non
obtemperant verbo, per eorum conuer-
ſationem ſine verbo lucrifiant.

113. Ne amittamus gratiam Dei, Spi-
ritum sanctum & hereditatem Regni cœ-
lorum. Nam hæc bona per mala opera,
ſeu peccata contra conſcientiam perdun-
tur. 1 Cor. 6. Nec ſcortatores, nec adulte-
ri, &c Regnum Dei poſſidebunt. Rom. 8.
Si ſecundum carnem vixeritis morien-
ti.

114. Gal. 6. 12. Vt pœnæ praefentes & æternæ vi-
tentur. Nam mala opera Deus regulari-
ter etiam in hac vita punit. Job. 9. Vere-
bar omnia opera mea, ſciens Domine
quod non parcis delinquenti.

115. Vt conſequamur præmia ſpiri-
tualia & corporalia, praefentia & æterna.
1. Tim.

I Tim 4. Pietas promissiones habet praesentis & vitaæ æternæ.

SEPTIMVS LOCVS.

DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

SACRAMENTVM est actio sacra, à Deo instituta constans verbo & administratione elementi integri, & addita promissioni, qua est Euangelij propria, ut promissionem gratiae singulis applicet, & Fidem in viuentibus obsigner & confirmet.

QVOT SVNT SACRAMENTA noui Testamenti?

Duo.

Baptismus & Cœna Domini.

Quid est Baptismus?

BAPTISMVS est actio seu ceremonia à Deo instituta, continens mersionem hominis in aquam, & integrum pronuntiationem verborum: Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti,

I 3 quæ